TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

QUÆDAM DE

INFLAMMATIONE HEPATIS
ACUTA

COMPLECTENS.

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
QUÆDAM DE
INFLAMMATIONE HEPATIS ACUTA
COMPLECTENS;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS TURNBULL,
EX INSULA JAMAICENSI.

Quis leget hæc? Nemo, Hercule, Nemo!—PERS. SAT.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT P. NEILL.
MDCCCXXII.


LIBRARY

PATRI MEO DILECTISSIMO,

MARCO TURNBULL, M. D.

E PRÆDIIS **Spring Garden** ET **Prospect**

IN INSULA JAMAICENSI

S. P. D.

Cui, Pater carissime, quam tibi, hoc Opusculum meliore jure dedicare possim? Mihi usque a primis annis invigilasti; nec solicitudo tua mihi juvenilem ætatem trans Atlanticum degenti defuit, et tandem, beneficentia tua, summos Medicinæ honores ab Academia, orbis terrarum inclytissima, adeptus sum.

Perexiguum revera est hoc pignus, sed grato animo oblatum: et ab eo cujus summum animi votum est, ut beneficia divina te semper consequantur. Sic enim Numen precatur Filius tuus.

Datam EDINBURGI, *Kal. Aug.*

AMICO MEO OPTIMO

GULIELMO BURN, Armigero,

CUJUS AFFECTIONES BENIGNÆ ETIAM INTER

LUDI LITERARII SODALITIUM,

EUM APUD ANIMUM MEUM NACTÆ SUNT LOCUM,

QUEM VIRTUTES EJUS PLURIMÆ IN AMICITIAM

DEINCEPS SUMMAM, MATURUERUNT:

NON UT AMOREM (INTER NOS) MUTUO

INTERCEDENTEM JACTAREM

SED UT SPEM EXHIBEREM,

ILLUM IN DIES AUCTUM IRI,

AD TEMPUS USQUE VITÆ EXTREMUM;

PAGINAS SEQUENTES,

LUBENTISSIME DEDICO,

THOMAS TURNBULL.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

QUÆDAM DE

INFLAMMATIONE HEPATIS ACUTA

COMPLECTENS.

Auctore THOMA TURNBULL.

PROŒMIUM.

QUONIAM mos est omnibus, qui summos medicinæ honores in hac alma Academia ambiunt, progressus sui in arte Hippocratica specimen aliquod in lucem prodere, nobis quoque ab hac lege non recedendum erit. Pro argumento Hepatitidem Acutam delegimus, utpote quæ gravissimis sæpe signis ægrum urgeat, nec raro in finem le-

thalem desinat: nonnullis tamen de Hepatis ipsius natura prius propositis quam historiam causasque morbi aggrediamur. Sede enim mali comperta, signa et medendi rationes in propatulo erunt.

DE HEPATIS FABRICA SITUQUE.

Omnium corporis humani glandularum, Jecur maximum est; fuscum, quasi compressum, sub dextro hypochondrio situm. Illud ventris superioris spatium fere adimplet, atque inde trans cartilaginem ensiformem in spatium sinistrum porrectum est. Ejus vero facies sursum spectans, gibba, lævis, septo transverso contigua est; quæ quidem deorsum aspicit, concava, fossis aspera. Ad partem posteriorem et dexteriorem Jecur crassum, anteriore vero et sinisteriore sensim extenuatum est, inque aciem quasi cuneatum. Undique membrana tenuissima, serosa, peritonæo derivata illud amplectitur, tam arcte quidem, ut sine ipsius Hepatis læsione, avelli inde non possit.

Ligamenta.—Ligamenta quorum opera jecur

sede sua nexuque retinetur, quinque sunt, atque uno excepto de peritonæo deductæ. *Falciforme* vocatur quod gibbum Hepatis septo transverso, abdominis musculis, et cartilagini ensiformi adnectit: per mediumque suspendens, in lobum dextrum sinistrumque dividit. *Rotundum* hepatis ligamentum est illud quod in fœtu *vena umbilicalis* fuit: hæc, jam nato, ligamine obstructa, brevique occlusa, in formam teretem fabricamque ligamentosam paulatim solidescit: ita tamen ut pristinam inter laminas falcati ligamenti sedem retineat, ab umbilico per marginem hujus inferiorem ad fossam hepatis usque in sinum sibi proprium pertingens. *Dextrum* quoque hepatis ligamentum peritonæi plica est, quæ limbum dextrum lobi majoris; *Sinistrum* vero quæ sinistrum limbum lobi sinistri ad partes contiguas abdominis conjungit.

Lobi.—Loborum Hepatis duo maximi sunt, dexter atque sinister. *Dexter* quidem grandior est, atque magnam partem dextri hypochondrii occupat; *Sinister* vero, uti jam supra innui, epigastrium. Lobi quoque hepatis minores sunt quibus nomina *Spigelii, Caudati, Anonymi,* indi-

ta sunt. *Lobus Spigelii* margine dextra et postrema lobi dextri, prope spinam situs est, inter cardiam et venam cavam prominens. Hujus autem *Caudatus* nil nisi angulus quidam est, dextrorsum spectans. *Anonymus* seu *Quadratus* longe major est, utpote qui inter venam umbilicalem, vesicam felleam, fossam demum transsversam, interceptus sit.

Fossæ.—Fossæ Jecoris partibus in concavo ejus respondent. *Fossa* vel *Fissura magna* ea est quæ venam umbilicalem, in adulto corpore ligamentum teres factum, recipit. *Fossa* seu *Sulcus* transversus dicitur ea, quæ inter lobum dextrum et sinistrum extensa, venam portæ cum arteria hepatica et ductu biliario, multa tela cellulosa et capsula Glissoni inclusis, recipit. Minores fossæ hepatis sunt, *Venæ cavæ, Ductus venosi, Vesiculæ fellis.*

Vasa.—Vasa Hepatis sanguifera duos ordines constituunt. A cœliaca provenit *Arteria Hepatica;* in brevi ejus ad Jecur transitu gastro-epiploicum ramum, unde plures minores nati, edens, in duas se partes diducit; ramulum vesicæ

fellis tribuit, et in substantiam Hepatis mersa, ibi pulcherrime fruticatur.

Alter vero vasorum ordo venosus est. Venæ enim ab omnibus fere visceribus abdominis quæ cibo concoquendo subserviunt, a ventriculo, intestinis, mesenterio, omento, pancreate, liene redeuntes, truncum illum crassum constituunt, jam supra *Venam Portæ* nominatum. Hæc arteriæ in propaginem ramosissimam se dividit, ad omnes etiam minutissimas Hepatis partes aditura. Miro robore est, atque ante immersionem in sulcum Hepatis transversum, capsula Glissonii et tela cellulosa defenditur. Denique sanguinem superfluum Jecoris tres vel quatuor *Venæ Cavæ Hepaticæ*, in venam cavam ascendentem profundunt, qua septum transversum perforat.

Nervi.—Nervos hoc viscus recipit a splanchnico ramo magni sympathetici, necnon a pare octavo et intercostalibus inferioribus; omnes tamen adeo exiles, ut neque sanum neque morbo affectum Jecur acute sentiat.

Lymphatica.—Lymphaticorum ea quæ convexo Hepate nascuntur, post sternum in media-

stino anteriore scandentia, ad ductum Stenonis constituendum conferunt; quæ autem facies concava promittit, recte ad ductum thoracicum magnum tendunt.

Ductus Biliarii.—Ductus Biliarii ramorum venæ portarum cursum persequuntur, adhuc *Pori* dicti, donec in majores paulatim majoresque ramos congregati, ductum *Hepaticum*, qui mox *cystico* conjungitur, Communique nomine *Choledochus* audit, constituent. Ille vero cum ductu pancreatis, duodeni tunicas oblique penetrat.

Fossa vero propria lobi majoris vesicula fellis modice recepta est; tenuis, pyriformis, bile plus minus plena; ductum suum *Cysticum* retro dirigens, quo facilius cum ductu hepatico coalescat, adque duodenum bilem cysticam deferat.

In capsula Glissonii supra memorata, hæ partes ita sitæ sunt, ut arteria in sinistram, vena in dextram, ductus in anteriorem partem aspiciant; nervis autem ac lymphaticis, circumcirca positis.

DE MORBI DEFINITIONE.

Hepatitis Acuta, de qua acturi, hæc anatomica proponenda duximus; in classe Pyrexiarum, ordine Phlegmasiarum, ab illustri Culleno definitur:

"Pyrexia, hypochondrii dextri tensio et dolor sæpe pungens pleuritici instar, sæpius obtusus; dolor ad claviculam et summum humeri dextri; decubitus in latus sanum difficilis, dyspnœa, tussis sicca, vomitus, singultus."

DE MORBI HISTORIA.

Jecoris inflammatio, ut medicorum libris constat, in regionibus orbis terrarum calidis, nempe India tam Occidentali quam Orientali, multo frequentius sævit quam frigidis mitibusque. Morbus cum languore, cum horroribus ac rigoribus, haud secus ac aliæ affectiones febriles, plerumque accedit. Cibi appetitus varius est: modo enim æger cibum quodammodo desiderat, modo eun-

dem maxime fastidit. His signis calor præter solitum, micatio arteriarum concitata, dura et plerumque plena, brevi post tempore succedunt. Oris quoque fauciumque ariditas, deinde sitis urgens, amaritudo quædam oris, crusta albida aut subflava linguam obducens, superveniunt.

Facies pallet, languida fit, nonnunquam colorem luteum ostendit; dolet hypochondrium dextrum, ut tactum sæpe levissimum tolerare nequeat. Æger quidem, si in latus sanum decumbere conetur, sive corpus erectum teneat, angore ejusdem regionis dolentissimo statim cruciatur; quando autem supinus, vel ad latus affectum paululum inclinatus decumbit, multo minus dolore vexatur.

Morbo ingravescenti supervenit tussis frequens, modo sicca, modo humida; respiratio gradatim difficilior fit, dolorque in hepatis regione e motu inde musculorum abdominis, multo molestior redditur; vomitus quoque interdum biliosus cum singultu plerumque urget. Alvus interea incerta; interdum enim fusa, interdum adstricta est: urina parca, nec, si Van Swieten credas, sine ardoris cujusdam sensu excreta.

Medici Hepatitidem secundum partem organi affectam distinguere solent; ideoque facie hepatis convexa quæ septum contingit inflammatione affecta, dolor ille lateris ad claviculam tendens semper acutissmus fieri dicitur, imo tumoris nonnihil circa hepatis sedem sentiri posse; respiratio difficilior evadere, magnoque dolore absolvenda; tussis quoque frequens sicca urgere, signis denique adeo pleuritidi similibus stipari, ut vix ac ne vix quidem distingui possint. Sed cum pars concava patitur, tunc dolor et febris minus exercent, at fastidium cibi et vomitus materiæ biliosæ maxime urgent.

DE SIGNORUM RATIONE.

Hypochondrii dextri tensio ac dolor.—Hypochondrii dextri tensio ac dolor, a mole hepatis exaucta, vasis scilicet distentis et fluidis effusis, inque nervos, nunc sensu morbido præditos, prementibus, oriri videntur. In hepatis enim inflammatione, vasa majorem sanguinis quantitatem vehunt, adeoque tunicas suas præter naturam distendunt, quo fit ut serum et lympha coagulans

iis tandem effusa nervos premant, irritent, signaque memorata præbeant.

Dolor sæpe pungens, sæpius obtusus.—Dolor sæpe pungens, sæpius obtusus, pro parte hepatis affecta, variare dicitur. Morbus enim, si membranam jecur cingentcm obsideat, propter sensum illius acutiorem dolorem pungentem edit, substantiam vero hepatis paucis nervis hebete sensu instructam occupans, obtuse admodum dolet.

Dolor ad Claviculam et summum humeri dextri tendens.—Doloris ad claviculam et summum humeri dextri tendentis, ratio, nunquam adhuc vera, vel veri similis, reddita est. Nervum phrenicum e plexus cervicalis communi origine ortum, adque diaphragma, quod sæpe inflammationis hepaticæ particeps est, deductum, plerique rem explicare credunt; sed huic utut probabili rationi, multa obstant.

Decubitus in latus sinistrum difficilis.—Decubitum in latus sinistrum difficilem æger sen-

tit, quia hepar et ligamenta jam inflammata, tensionem ponderis illius sine dolore ferre nequeant.

Vomitus.—Hoc signum Hepatitidis sæpe valde importunum, non solum a consensu ventriculum inter et hepar, sed bilis quoque irritamento in eum sæpe refluentis, originem ducit.

Dyspnœa, Tussis sicca, Singultus, ipsius irritationis proles sunt.

DE CAUSIS.

Non signa solummodo morbi novisse sat est: causas quoque diversas, quæ iisdem originem præbent, intelligere necesse est.

Hepatitidis acutæ causæ *prædisponentes* et *excitantes* sunt: scilicet quæ aut proclivitatem ad morbum, vel morbum ipsum, inducunt.

Prædisponentes multæ sunt; sed eæ maxime considerari debet, quæ in manu nostra sunt, et si non omnino, saltem certos inter limites cohiberi possunt. Hujusmodi sunt intemperantia tam victus tam vini vel aliorum liquorum

inebriantium, vitæ genus lautum et otiosum, calor nimius, sive cœli, sive conclavis quod habitant homines. Aliæ causæ quæ obnoxios faciunt, sunt ætatis florentis et sanguinei temperamenti corpus, sexus masculinus præ fœminis et pueris; et, ut nonnulli volunt, temperamentum corporis melancholicum, utpote cui hepar irritabilius natura datum sit.

Excitantes causæ numerosissimæ sunt; quoniam quæcunque sanguinis impetum ad jecur augent, Hepatitidem inducere possunt. His exercitatio vehemens et diuturna sub sole ardente, frigus extrinsecus admotum, maxime cum humore junctum, corpore interim præter solitum calente; caloris frigorisque subita vicissitudo, æstates fervidæ, aridæque, quidam animi affectus, ut ira, metus, subita trepidatio, mœstitia, vermes, intemperantia omnigena, præsertim frequens liquorum stimulantium ingurgitatio, victus aromatici condimentis acridi usus; febres intermittentes, remittentes, raro continuæ, haud inepte comprehendi possunt. Injuriæ externæ quoque, ut calvariæ fractura, Hepatitidem acutam aliquando excitasse visæ sunt, consensu, an concussione, ig-

narem. Porro, concretiones solidæ, sive calculi biliarii ductibus inhærentes, vasa comprimendo et irritando, hunc morbum haud raro inducere valent. Adjici potest, acutam hepatis inflammationem sæpe chronicam concitare.

DE TERMINATIONIBUS.

Hepatitis, haud aliter ac aliæ inflammationes, Resolutione, Suppuratione, Scirrho, Gangræna, terminari potest.

Resolutio morbi finis optima et multum optanda est, sive viribus naturæ medicatricibus, sive medicamentorum ope enata. Evacuationes aliquas plerumque comitatas habet: diarrhœa biliosa, sanguine commixta, citra dolorem ac *tenesmum;* fluxus urinæ, sedimentum copiosum demittentis; sudor profusus, tepidus, totum corpus æqualiter pervadens; incrementum secretionis bronchialis; erysipelas demum, in aliqua corporis parte externa apparens, morbum nonnunquam in exitum felicem ducunt.

Suppuratio quam maxime timenda est, si

causa morbi excitans haud sublata fuit. Hæc terminatio, periculo referta, nequaquam infrequens est; et indiciis hisce cognoscenda. Horroribus iteratis æger corripitur, dolores minus acuti fiunt, minus pulsant, paulatim remittunt, sensusque ponderis plenitudinisque in parte affecta percipitur, pulsus plenus fit et mollior, lingua albida est, cum genarum erubescentia et aliis hecticæ signis.

Abscessus varie evacuari potest. Haud raro tubis biliariis erosis, pus in abdomen per ductum hepaticum transit. In ventriculum vel intestina materia viam aliquando sibi patefacit, et dejectione demum vomituque ejicitur. Nonnunquam per adhæsiones cum septo transverso, et erosionem subsequentem, vel in thoracis cavitatem, vel etiam, nec ita raro, in pulmones penetrat. Denique per musculos intercostales, absorptione excitata, pus viam sibi foras efficit.

Scirrhus nequaquam infrequens Hepatitidis terminus est, sed acutæ sæpius quam chronicæ sequela; interdum per annos plures sine ulla molestia subest, neque scirrhum glandularum externarum omnino refert.

Gangræna nisi perraro Hepatitidem non terminat; vix quidem, extra MORGAGNUM, exemplum non dubium invenire potest.

DE PROGNOSI.

QUUM prognosis cujuslibet morbi quem curandum suscipit medicus, quantum ad famam ejus existimationemque spectat, summi momenti sit, hanc medicinæ partem quam maxime excolere debet. Hepatitide vero acuta periculum, secundum proclivitatem ad suppurationem æstimari debet.

Pyrexia vehemens, dolores exacerbati, respiratio curta sed celeris, vomitus, singultus, delirium, cum maxima virium prostratione, vultu languido, pulsu parvo, debili, abnormi, indicia sunt, quæ periculum maximum minentur et prænuncient; et si non his remediis propriis tempestive obstemus, ad exitum lethalem cito ruere possunt. Contra, si signa, pagina nostra decima tertia exposita, supervenerint, et si indicia phlogistica gradatim subsederint, tunc eventum morbi felicem prædicere nobis licebit.

Quando malum in abscessum abit, periculum quo versatur æger deprehendere in promptu erit. Sic enim pus diaphragma perforat, et in thoracis cavitatem, vel in pulmones effunditur; miser suffocatione vitam sæpe, sed non semper, amittit. Quando in ventriculum vel intestina sibi viam efficit, suis periculis non caret, ideoque prognosis mala est. Si vero ad partes internas aperte spectet, ope scalpelli pus foras emitti, mortisque faucibus æger eripi potest.

Terminatio in scirrhum mortem haud instantem, sed lentam tandem infert, ictero vel ascite insanabili superinducto.

Si quando indicia supra memorata gangrænam indicantia supervenerint, tunc conamina omnia ad vitam ægri conservandam in fumum abeunt, et serius citiusve mors inevitabilis miserum ærumnis liberat.

DE DIAGNOSI.

Morbi quibuscum inflammatio hepatis acuta confundi potest, varii sunt; inter quos *Pneumonia, Enteritis, Gastritis,* Colica atque Rheu-

matismus præcipue numerantur.—Pneumoniam tam vehementer simulant multa e signis quæ Hepatitidem comitantur, ut multi etiam peritissimi medici nonnunquam inde decepti sunt. Illis vero signis discerni potest. Hepaticus dolore minus pungente vexatur; qui modico sub margine costarum spuriarum pressu multum augetur. Tussis sub inspiratione non excitatur, at dolor fit major; plenitudinis sensus ac tensionis in parte affecta sentitur; adsunt tussis sicca, singultus, vomitus biliosus; facies languet; oculi hebescunt, icteri signa sæpenumero adparent; dolor hypochondrii dextri usque ad jugulum et summum humeri dextri nonnunquam tendit, atque augetur quando in sinistro latere æger decumbit. Contra vero, dolor in quadam thoracis parte, respiratio perpetuo difficilis, et sæpe non nisi trunco corporis erecto exercenda; cum faciei tumidæ colore purpureo, Pneumoniam vere indicant. Porro, multum ex morbi historia causisque disci potest.

Enteritidis dolor, circa umbilicum torquens, pulsus parvus atque durus, febris typhodes, cum

absentia signorum Hepatitidis propriorum, hunc morbum ab inflammatione hepatis satis clare distinguunt.

Gastritis haud difficulter ab Hepatitide distinguitur. Gastritide enim laboranti, sedes doloris diversa; adsunt quoque dolor epigastrii urens, anxietas circa præcordia molestissima, vomitus frequens, ingestis quibuslibet auctus, una cum prostratione virium magna, febre typhode, et rubore erysipelatoso in faucibus nonnunquam apparente.

A Colica facile internoscitur. Hoc enim morbo adsunt accessio et remissio, umbilicus introrsum retrahitur, pulsus est parvus, plenus atque mollis; morbi initio pyrexia semper abest, dolor sub pressu imminuitur, alvus denique pertinaciter astringitur.

A rheumatico affectu musculorum superincumbentium, sine difficultate magna, Hepatitis distingui potest. In Rheumatismo dolores plus minusve diffusi, et fugaces ab alio in alium locum; et musculi, præ angore molestissimo, motum vel

tactum tolerare nequeunt; tussi simul, vomitu, singultu, absentibus.

DE POST MORTEM SIGNIS.

Quæ, cadavere secto, in conspectum veniunt, multum in diversis corporibus variare solent. Tunica hepar cingens incrassata, et inflammatione tentata vulgo reperitur; vasaque ejus multo sanguine florido distenta, lympham coagulantem plerumque effundunt, per quam jecur cum partibus vicinis conglutinatur.

Quin ipsum hepar amplificatum et induratum, citra notabilem fabricæ internæ mutationem, aliquando invenitur.

Celeberrimus Monro Tertius in "Primis Anatomiæ Lineis," hepar præter naturam molliri quoque memorat.

Tubercula magnitudine variantia, cum abscessibus plus minusve ingentibus, in partibus hepatis diversis, nonnunquam etiam detegantur. Interdum hydatides, humore albido vel subflavo distentæ, partem hepatis internam occupant, vel margini ejus adhærent. Porro, calculi biliarii,

fluxu bilis per ductus biliferos præpedito, in hepate post mortem visi sunt.

DE MEDENDI RATIONE.

Propositis jam signis, et vario morbi eventu, restat, ut ad medendi rationem transeamus. Quum vero princeps ejus consilium sit, inflammationem extinguere, ad illud explendum, regimen antiphlogisticum dictum, et remedia aliis in inflammationibus usurpata, de quibus sigillatim pauca dicere mihi in animo est, sedulo adhibere oportebit.

Sanguinis Missio libere et tempestive adhibita, ad violentiam morbi reprimendam, demumque penitus resolvendam, optimum remedium est. Nulla lex vel regula universa de quantitate detrahenda tradi potest: tamen auctoribus cautum est, ne morbi violentiam, ægri ætatem viresque, multas demum alias res extraneas, uti cœlum, anni tempus, victus et vitæ genus, in animo non sedulo perpendamus. Sanguis ex orificio amplo detrahendus est; et si animi deliquium ac-

cesserit, prodest multum. Hoc enim statu omnes corporis fnnctiones, inter quas inflammatio annumerari potest, pro tempore supprimuntur. Raro autem una sanguinis missio, utcunque ampla, malum solvit. Sæpissime enim dolor, et signa alia quæ leniverat, brevi post tempore recipiunt; quod si fiat, sanguis iterum pro signorum violentia, ægri viribus erit mittendus; et si opus sit, repetendus.

Purgantia, utpote alvum cientia, in hoc haud secus ac aliis morbis febrem habentibus quibus usurpantur, maxime prodesse solent. Namque per eorundem stimulum intestinis admotum, omnium qui in ea funduntur humorum secretionem et fluxum promovent augentque; simulque majorem sanguinis derivationem intestina versus efficiunt, multum ideo humoris tenuis a sanguine detrahunt, et sic exinanitio fit generalis. Porro, tensionem minuunt vasorum quæ sanguinem ubique corporis vehunt, ideoque ejus impetum temperant, corpus ipsum demum infirmant; atque hac ratione inflammationem depellere tendunt.

Remedia hujus classis leniora, præsertim sales medii multa aqua soluti, utilissima videntur; salium optimi sunt Sulphas Magnesiæ, Tartras Potassæ, Sulphas Sodæ, Phosphas Sodæ.

Infusum sennæ compositum, et Oleum Ricini, in hoc morbo magnopere prosunt. In plagis calidis, quædam ex hydrargyro præparata, uti submurias hydrargyri mitis intrinsecus, et unguentum hydrargyri extrinsecus adhibitum, nonnullis medicis, quasi specificum remedium, multum laudantur. Alii in morbi initio præcipiunt; alii contra, post urgentia signa inflammationis, usurpari melius esse existimant.

Enemata laxantia et emollientia per anum infusa, mollito aut diluto stercore duriore, viisque per quas excerni debet, madefactis et quasi inunctis, quo facilius dejectio fiat, vehementer prodesse inventa sunt.

Vesicatoria, si rite et tempestive adhibita, in hepatis inflammatione utilissima sæpe reperiuntur. Hypochondrio dextro vesicatorium amplum imponendum est, et plus fere prodest nova

vesicatoria iterum iterumque, vel eidem loco, si hic primam satis sanamque cutem denuo adeptus est; sin minus, partibus vicinis, imponere. Hoc modo videntur opem ferre, partim stimulo suo, partim ipsa exinanitione, sanguinis cursum et distributionem aliquantum mutant: nimirum, qui a parte affecta evertitur, adque illam unde exinanitio fit, vel cui vesicatorium imponitur, copiosius derivatur. Frequenter evenit, ut stranguriæ vesicatorium originem præbeat; quæ particulis quibusdam cantharidis per cutem in sanguinem assumptis, et ad renes vesicamque delatis, plane tribuenda est: vel, ut quidam volunt, irritationi ipsius cutis cum organis urinalibus communicatæ. Ad hoc incommodum evitandum vel minuendum, prodest, potum aliquem lenem et diluentem bibere: neque inutile videtur pertenui linteolo emplastrum ipsum obtegere. Sunt quibus persuasum est, camphoram, aut emplastro admissam, aut exiguo omnino portione devoratam, ægros a stranguria, quam alioquin cantharis factura esset, optime defendere.

Quoniam, ut diximis supra, jecoris inflammatio, sudore in partibus corporis omnibus prorumpente,

aliquando solvitur; medico non supervacaneum erit, hanc naturæ semitam sequi. Hinc DIAPHORETICORUM optima, quæ antimonio parantur, sicuti Pulverem Antimonialem, Tartratem Antimonii, in dosibus parvulis, ut nauseam et sudorem cieant; necnon Aquam Acetatis Ammoniæ, cum potione DILUENTIUM copiosa, quale est Decoctum Hordei, vel Avenæ, adhibere necesse est. Sed ne vomitum moveant sedulo præcavendum est.

REFRIGERANTIA, qualia sunt fructus acidi, Citrus aurantium, Tamarindus Indica, cum Nitrate Potassæ, in Hepatitide haud secus ac in aliis inflammationibus, in auxilium opportune veniunt; non solum febrem temperando, sed etiam sitim, vomitumque imminuendo et coërcendo, prosunt.

Auxilia supra memorata in tempore inflammationis usurpanda sunt; quum autem, sive ex violentia morbi insolita, sive remediis non rite adhibitis, vel denique omnino neglectis, morbus in suppurationem progreditur, generationem puris sani medicamentis roborantibus ac stimulantibus,

uti cinchona, et vino rubro, modice epoto, accelerare oportet. Quod si abscessus ad partes externas plane spectet, jamque cum iis probe cohærere appareat, tum scalpello aperiendus, et ulcus secundum leges chirurgiæ ad sanitatem perducendum est.

FINIS.